Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35083
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

prevaricationem. Hec dicit. ℣ Im-
Aspiciens a longe ecce video dei potentiam venientem et nebulam totam terram tegentem. Ite obviam ei et dicite. ℣ Dominus nos si tu es qui es qui regnaturus in israel. ℣ Quique terrigene et filii hominum simul divites et pauperes. Ite. ℣ Qui regis israel intende qui deducis velut ovem ioseph qui sedes super cherubim. ℣ Dominus. ℣ Tollite portas principes vestras et elevamini porte eternales et introibit. Ant.
Omne caput languidum. Lec. iij.
et cor maerens a plantis pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Vulnus et livor et plaga tumens: non est circumligata nec curata medicamine neque fota oleo. Terra vestra deserta: civitates vestre succendite igni. Regionem vestram in conspectu vestro alieni devorant et desolabitur sicut in vastitate hostili. Derelinquetur filia syon sicut umbraculum in vinea. et sicut tugurium in cucumerario sicut civitas que vastatur. ℣ Nisi dominus exercituum reliquisset nobis semen: quasi sodoma fuissemus et quasi gomorra similes essemus. Hec dicit. ℣
Aspiciam in visu noctis et ecce in nubibus celi filius hominis veniet et datus est ei regnum et honor et omnes populi tribus et lingue servient ei. ℣ Ecce dominator dominus cum virtute veniet. Et datum est. Lec. iij.
Audite verbum domini principes sodomorum percipite auribus legem dei nostri populi gomorre. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum dicit dominus. Plenus sum holocausto arietum et adipe pinguium et sanguine vitulorum et agnorum et hyrcorum nolui. Cum veneritis ante conspectum meum quis quesivit hec de manibus vestris. Calcare atrium meum non apponatis. Ne afferatis ultra sacrificium frustra incensum abhominatio est mihi. Neomenias vestras et sabbata et festivitates alias non feram iniqui sunt cetus vestri. Kalendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea. Facta sunt mihi molesta: laborabam sustinens. Et cum extenderitis manus vestras avertam oculos meos a vobis: et cum multiplicaveritis orationem non exaudiam. Manus enim vestre sanguine plene sunt. Hec d. ℣ Missus est gabriel angelus ad mariam virginem desponsatam ioseph virum ut annuntiaret ei verbum et expavescat virgo de lumine ne timeas maria invenisti gratiam apud dominum. Ecce concipies et paries et vocabitur altissimi filius. ℣ Ave maria gratia plena dominus tecum. Ecce con. In. ij. noctu.
Surgentes quia hora est iam nos de sopno surgere nunc enim propior est nostra salus quam cum credidimus nox precessit dies autem appropinquavit. Pv. Conservabit ℣ Egredietur dominus de loco suo suo. Veniet ut salvum faciat populum suum. Lauamini mundi estote: Lec. iij.
auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite agere perverse dilcite bonum facite iudicium subvenite opresso iudicate pupillo defendite iudicate viduam venite et arguite me dicit dominus. Si fuerint peccata vestra ut coccinum quasi nix dealbabuntur. Et si fuerint rubra quasi vermiculus velut lana alba erunt. Si volueritis et audieritis me bona terre comedetis. Quod si nolueritis et me provocaveritis ad iracundiam gladius meus devorabit vos: quia os domini locutum est omnium. Hec d. ℣ Ave maria gratia